Censura amica seu Crisis informatoria super Communi modo vetandi D.D. Polonis in suis Consiliis usitato per verbum. Niepozwalam 1736.

1883. IV. 29.

CENSURA AMICA,

ſeu

CRISIS INFORMATORIA,

ſuper

Communi modo vetandi, D. D. Polonis, in ſuis Conſiliis, uſitato,

per verbum

Niepozwalam. (a)

(1736)

Non eſt malevolus, qvi crimen alterius indicat: qvia indicando corrigere poteſt, & tacendo, frater perire permittitur. S. Auguſtinus.

(a) Terminus hic vetandi, ex vi nominis, ſignificat *contradico, denego*, ſeu *non conſentio*, qvod apud Polonos vulgò dicitur *Veto*.

Consilium custodiet te, & prudentia servabit te. Proverb. c. 2. v. 11.

ÆQviorem te mihi, amice Lector, ex hac censura, habitum iri censorèm, ratio justi svadet. Qvod non præceps ambitio, non odium, aut ira, sed rectè mihi dicendi officium, ita scribere admovit: *Negligere qvippe cùm possis deturbare perversam opinionem, nihil est aliud, qvàm fovere.* Fel.Pont. de libert.(b) Utinam silere tàm liceret, qvàm invidiosum est loqvi, de violenta, præpotente, & plusqvam Stentorea voce, qvâ Lechiæ, ferale illud, in ore malorum Civium, resonat classicum: *Niepozwalam, niemasz zgody.* Non secus, ac si in hoc uno temerè (c) sumpto, libertatis cardo verteretur: ut majestate suâ Regibus detractâ, à se Principes universos pendere, regna firmari, mutari, & suum esse orbis terrarum imperium crederetur.

Hinc ne præteritarum calamitatum, qvæ ab hoc unico fonte malignantis naturæ, in Poloniam ubertim sæpiùs exundârunt, hìc refricem memoriam, satis erit, & ad nauseam usqve earum meminisse, sub qvibus hodie Lechia deploranda, inter mala intestina,

 ac

(b) Goldast, in Monarch. S. Rom. Imp. (c) contra Legem.

ac domeſtica tam abominabilia, tam diuturna, totiesqve repetita jurgia, atqve diſſidia civium, tota gemit lacrymabunda: *Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum.* Qvibus moram afferente, in malis fratribus, civicâ diſcordiâ, ſalus Patriæ periclitatur & Civium.

Et licet communi utilitate exigente, ad conſilium (qvod demum regnis ſaluberrimum eſt) ventum ſit, qvia tamen inter diſſidentes animorum poteſtates, ſat bonâ fide, res convenire non poteſt, poteſt & nunqvam certa pax Poloniæ cenſeri, nec dilatio belli.

Unde juſtè vices dolendo cum Lechia, (à qva tot beneficia receperam,) ſortem plorando pauperum, qvorum

Lamentis gemituqve - - -

Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus æther. (d)

Vos, quorum maximè intereſt, Viri prudentiſſimi, *avertere noxia & rebus ſuccurrere lapſis*, quos, ſapientiâ, integritate, uſu rerum, prudentiâque, & moderatione, cæteris præſtantes, favor Divinus, Reipublicæ gubernaculis, veluti ſecundos, Atlanti Veſtro Regi admovit Hercules, Senatores Ornatiſſimi, in medium evoco, ne altitudinis fortunæ Patriæ, cum Sereniſſimo olim Glor. mem. AUGUSTO II., Rege Veſtro Deſideratiſſimo, penè obliti, eam, quæ magnitudine veſtrâ, digna eſt, libertatis veſtræ, qua nulla res inter mortales pulchrior, nulla auguſtior in terris, conſervandæ, cum Sereniſſimo Rege AUGUSTO III., curam ſuſcipi negligentes, inimicitiis, contentionibus, æmulationibus, iris, rixis, diſſen-

(d) Virg. 4. Æne:

ſenſionibus, & ſectis populi, ab invicem conſumi patiamini. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur:* (e) *Zgoda.* (f)

Ut verò ab omni refutatione popularium, (quorum in criminibus poteſtas,) hìc ſim alienus, exoratum te velim, Amice lector, ut omnem deponas ſiniſtram affectionem, qualemcunque & undequaque natam. Abſit livor & invidia, abſit pertinacia, abſit affectûs malitia corrupti, atque ad unicæ veritatis metam, ora converte atque oculos. Itaque.

Labor hic, quem venerandæ veritatis ſtudiô ſuſcepi, arbiter eſt conſiliorum veſtrorum, non Momus, aut Zoilus Cenſor. Nec in cujusquam contumeliam hæc dici putes: rem notamus non homines. Opto eſſe nullos, in quos hæc congruant. De malis loquor, bonos non lædo: imo nec malos. Si quis hujusmodi non eſt? nihil ad ſe pertinere cogitet; ſin agnoſcit ſuum malum? admonitum ſe putet cum Apoſtolo: *non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut Filios meos chariſſimos moneo.* Cor. I. cap. 4.

Hoc præmiſſô, ad negotium, cujus rei gratiâ, ſcriptionem hanc inſtitui, cum Domino accedo.

Ante menſes circiter tres, ſubmiſſa mihi fuerunt acta Nuntiorum Terreſtrium, pro more Patriæ, ad Comitia Pacificationis Deputatorum, Annô Domini proximè elapſô 1735. Die 27. Septembris, Varſaviæ celebrata. Quorum deſideriô raptus in lectionem, *vidi prævaricantes & tabeſcebam.* Et ne quid graviùs dicam: abhorrui, & obſtupui, ſuper tam illegalem, importunum,

B &

(e) ad Gal. c. 5. v. 14.

(f) Hoc vocabulô datur conſenſus civium, ſuper re aliqua ab Ordinibus definienda, quod idem ſignificat, ac *convenio, conſentio, &c.*

& irregularem modum agendi, non modò inclytæ Genti Polonæ inconvenientia, ſed & injurioſa monumenta rei. Quod cùm diligentiùs apud me recogitaſſem, & cauſam mali eſſe *Liberum Veto* intellexiſſem, veritate, cujus præcipua ſemper in omni diſquiſitione, habenda eſt ratio, monitus, ea, quæ de hac re ſentio, palàm dicere, quàm impiè de Republica, deque pace, ſalute, & ſecuritate publica actum ſit. Quàm nefariè maleuoli Cives, ambitione non ratione ducti, optimè de Republica ſentientium, præclara, piáque ſenſa virorum, inſolenter tumultuantes, buccis crepantibus veluti è Cathedra peſtilentiæ, vocem liberam perturbantes, placita Regum renuentes, Legum monita & Fratrum Majorum (g) ſuaſiones rejicientes, ſolis ſuis paſſionibus prædominati, omnia ſibi licere per *liberum Veto* autumantes, jura, privilegia, ſtatuta, ordinemque procedendi in comitiis, Legibus (h) circumſcriptum, ſusque deque everterint, novum Babylonicæ confuſionis introducentes regimen: *ſinè cruce*, *ſinè luce.*

Hinc ne libertatem in occaſionem detis, attendite principes populi! & Seniores audite! Dei vox eſt: omnia debere fieri *ordine & decenter* Cor. I. cap. 14. imò certa ea eſt proſperrimi ſucceſſûs ſponſio. E contra, horrorem ſempiternum indicant, factiones, malè-ſana diſcordia, quam ratio deſerit, & aptus gerendorum ordo:

Id quod præcipiti viâ

Cer-

(g) ita Patriô idiomate vocantur Senatores: *Bracia Starsi.*

(h) Conſtitut. SIGISMUNDI III. an. 1591. *comitia incipere debent ea ipſa die, qua literis univerſalibus indicta fuerint.* Sczerbic. Conſtit. JOANNIS III. an. 1690. tit. *obiasnienie Konstytucyi o porządku Seymowania.*

Certum deserit ordinem
Lætos non habet exitus. Boëtius met. 6. lib. 1.

His moribus effectum videmus, ut excussâ, penitus ex animis Civium, illâ vetere, erga Reges reverentiâ, erga leges observantiâ, dies nos manent iræ, calamitatis, & miseriæ, ex inverso rerum ordine.

Hoc expensô: non modò rem gratam, verùm & Patriæ vestræ utilem judicavi, si quid in medium afferrem consilii de *Libero Veto*; pro informatione concivium, jura Regni cum dedecore Gentis ignorantium. Quibus nullum jam scelus aut deest, ampliùs, aut scelus esse videtur IGNORANTIA. (i) Quibus non absurdè hìc illud accommodaveris Oseæ: *non est scientia DEI amplius in terra.* Ubi nec lex, nec ratio in consiliis est. Omnia sibi licere per *Liberum Veto*, cælum terræ, sursum miscere deorsum: Divina humanaque jura temerare, sanctum vocatur, ac Deo gratissimum esse disputatur.

O corrupta sæcula! in quæ vos mutârunt tempora Poloni: O mores! longè Majoribus Vestris dispares! quorum integritatem, virtutem, & prudentiam, orbis expertus est & admiratus. Quibus non immeritò, illud Viri melliflui, applicari potest elogium; *Genus clarum, corpus aptum, ingenium velox, eruditionis utilitas & morum honestas* (in Polonis) *resplendent: & gloriosa dicta sunt.*

Opto ut tantillâ laudum collectione, ad meliora provocemini charismata. Opto ut amore Patriæ, exemplô Majorum Vestrorum incitati, ad futura progrediamini consilia, in ratione & unione. Ad quæ, ne vobis deinceps obstaculô sit *Liberum Veto*,

 illud

(i) Ignorantia virtutum immanis carnifex, omniumque vitiorum stimulus est. GUEVARA in Horol. Princip.

illud tamen rectè intellectum, per omnia cum libertate salvetur, jure expendere, atque pro posse studiosè explicare conabor, ad Majorem DEI Gloriam, Regnique vestri emolumentum.

Qv. A quo tempore *liberum Veto* cæpit in Polonia? quid sit? ubi & quando observari debeat?

Pro Cujus rei perfectiùs habenda notitia, inferiùs posita, ut scitu necessaria, hìc præmittuntur Lectori.

Imo. Initiô Gentis Polonæ, populus sine lege scripta vixit, omniaque nutu & arbitriô Principum & Regum suorum regebantur. *Lechus partim Gnesnæ manendo, partim obeundo Regiones, jus dabat populo æquabile, non ex præscripto Legum, quæ nullæ erant, sed ex arbitrio suo:* Cromerus lib. 2. de orig. & reb. gest. Polon. Firmatur hæc veritas ex Justin. lib. I. *Arbitria Principum pro legibus erant. Non secundùm legem (quæ non erat) sed Regum præceptionibus populus regebatur.* Joseph. ad Apion. 2. Primus fuit CASIMIRUS M., qui Rempublicam legibus auxit, condidit & promulgavit. *Lascius* fol. 8. *Cromerus*, lib. 12. *Statuta Regni, Casimirus M. condidit, & promulgavit primus*, Paul. Sczerbicius. Præsuppositô tamen (*ut habet Cromerus lib. 8.*) sub *Boleslao* Pudico, jam certas extitisse leges, simplices tamen, ut rude illud pro tunc ferebat sæculum, quas, successu temporum ALEXANDER, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, aliique subsequentes Reges, augere & firmare cœperunt. *Lascius* fol. 6. Przyluscius fol. 39.

2do. Leges seu Constitutiones Regni vocantur in Polonia, quæ à tribus ordinibus Regni (*Regiô*, penes quem est dignitas, *Senatoriô*, penes quem est authoritas, & *Equestri*, penes quem est

eſt libertas) in Comitiis Generalibus ſtatuuntur. *Sarnicius fol. 40. & 50.* Ratio, cur ab omnibus condi debeant leges in Polonia? liquet ex conventu Radomenſi ſub ALEXANDRO *An. 1505.* Laſcius, Herburt. Przyluſc. titul. *Conſtitutio.* Et eſt hujus trita etiam juris Canonici regula: *quod ad omnes ſpectat, ab omnibus approbari* debet cap. quod omnes de reg. jur.

3tio. Leges Regni & Conſtitutiones Cracoviæ an. 1507. definitas eſſe; donum Dei, ac Reipub. animam: *quia omnis lex donum eſt, huic omnes obedire oportet, utpote ſine qua Reſp. veluti corpus ſine anima conſiſtere, & regi nequeat,* ex ſtatuto SIGISMUNDI I. *fol. 1.* Juxta Weſſembec. in paratitlis Digeſt. tit. de juſt. & jure, lex eſt: *ars æqui & boni, id eſt collectio omnium præceptorum boni & æqui. Rectam agendorum rationem eſſe* definiunt Theologi. dela Croix *lib. 1. tract. 2. cap. 1. n. 561.* & alii paſſim.

4to. Omnes Conſtitutiones & ſtatuta eo fine conduntur, ut humana audacia coërceatur, & inter improbos, innocentes cives ſecuritate lætentur, atque ſinguli honeſtè vivant, alter alterum non lædat, jus unicuique ſuum tribuatur. CASIM. Crac. an. 1368. fol. 53. *Felix diuturnumque regni imperium, in laudem DEI omnipotentis reddatur.* ALEXAND. in conventu Radomenſi an. 1505. CASIM. in conventu Nieſovien. an. 1454. Herburt. ſub litera LEX. Przylusc. fol. 2. & 32. cum ſeqq. Nec debent Conſtitutiones & ſtatuta ferri, quæ honeſtatem publicam lædant. SIGISMUNDUS 1507.

5to. Præter jus ſcriptum, utebantur D. D. Poloni etiam jure non ſcriptô, ſeu conſvetudine, quæ vim legis obtinuit, ſub ALEXANDRO in conventu Radomenſi an. 1505. Qui omnes conſuetudines Terrarum regni & præcipuè Terræ Cracovienſis, corpori

juris adſcripſit & approbavit. vide Laſcium fol. 120. Herburt. tit. *Conſvetudo Zawadzki* fol. 4. & ſeqq. Item Conſuetudines Podlachiæ SIGISMUNDUS AUGUSTUS in Comitiis Lublini an. 1569. Conſuetudines Maſoviæ STEPHAN. *Rex* ſub tempus Coronationis ſuæ an. 1576. approbârunt, ut videre eſt in Conſtitutionibus & apud Januszovium *de juribus Mazoviæ lib. 7. pag. 4.*

6to. Ut conſuetudo vim legis obtineat, legitimaque cenſeatur, plures ad ejus valorem requiruntur conditiones, ex quibus tamen principalis eſt RATIONABILITAS, hoc eſt; ut conſuetudo ſit rationabilis, ita *Przyluſcius ex Hoſtienſi.* Alias corruptela diceretur, *text. in d. cap. fin. de* conſuetudine, & in L. *quod non ratione ff. de Legibus.* Ratio additur. Quia ſicut lex, ita & conſuetudo (quæ vim legis habet) debet eſſe ſancta, poſſibilis & Reipublicæ utilis. can. *conſuetud.* diſt. 1. & can. *erit.* diſt. 4. Illa vero conſuetudo dicitur eſſe irrationabilis, quæ eſt contra bonos mores, aut præbet occaſionem delinquendi. Repugnatque Religioni, libertati &c. *ut in cauſa* 14. q. 4. per toum habetur.

7mo. Deductò, in ſuppoſito 1mo. quod Polonia à primordiis ſuis, ſolo nutu & arbitrio Principum, Regumque ſuorum regebatur, neceſſariò ſequitur, Lechiam non cum libertate natam eſſe, ſed eam primò cum tempore nactam fuiſſe, idque â ſola Gratia & bona Voluntate Regum, liberè eam populo impertientium: Ut videre eſt in antiquioribus conſtitutionibus, privilegiis, ſtatutis, & pactis conventis, maximè iis, quibus STEPHAN. *Rex* titulum Hæredis exuit. tit. *Literæ confirmationis articulorum Henrico Regi oblatorum.* fol. 253. Similiter iis, quibus SIGISM. AUGUSTUS an. 1564. in Comitiis Varſavien. titulum atque jus hæredis, in gra-

gratiam Polonorum exuit. *Teste* Alberto Kojalovicio *part. 2. Hist. Lithv. lib. 8. p. 458. in fin.* Confirmatur hoc disertis verbis, quibus omnes testantur post JAGIELLONEM, se Reges electos non natos esse. Januszovius lib. 1. Constitut. Regn. Polon. part. 1. pag. 4. seqq. *Zawadzki* part. 1. Constit. & jur. Regn. Polon. pag. 19. Herburt. Sczerbicius & alii. Hinc quæritur.

8vo. Quid sit. Libertas? *Resp.* 1mo. Variè à variis libertatem describi. Juxta Tacitum est, *sentire quæ velis, dicere quæ sentias.* Juxta Ciceron. *præcipit ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Ex statuto SIGISMUNDI I. est *Donum* DEI, Dux Joan. Radziwil, M. D. L. Incisor, an. 1701. Parisiis protunc existens, publico projectô, quod titulum præsefert *vox justa & libera*, declaravit: *bona velle* Patriæ *mala nolle* veram esse & præcipuam libertatem Liberi Civis. 2do. Distinctam dari libertatem, non secus ac diversas esse imperii potestates, Regiam & Dominicam, docet *Hugo Grotius lib. 1. cap. 3. §. XII. de jure Bell. & pac.* aliam esse personalem, aliam civilem, aliam singulorum, aliam universorum, sub qua, Respublica suis legibus administratur. Taliterque hic sumpta, *est Jus regendæ per se Reipublicæ.* Quod jus plenum est in statu populari, temperatum in statu optimate. *Hugo lib. 2. cap. 24. §. 6. 11.* Ac quoniam jus dicitur, *quod justum est* can. jus. Gener. d. 1. sequitur Objectum libertatis esse, *justitiam & honestatem.* His expensis, ipsum *liberum Veto*, considerandum nobis venit.

Qu A quo tempore, cæpit *liberum Veto* in Polonia?

Resp. Inter alios, quibus nobile hoc Veto, jus suum debet, Serenissimum AUGUSTUM III. legitimum Regem Polo-

niarum, suum nunc deprædicat Assertorem, Propugnatorem & Vindicatorem. Quem vero suum dicat Authorem; quæque ejùs origo fuerit in Polonia? deducit *DLUGOSSUS*, *lib. IX. Hist. Polon. fol. 1030. tom. 1.* annal. his verbis: *Susceptô*, Anno Domini 1334. *adeptoque Regni* Poloniæ *regimine* CASIMIRUS REX, (k) *duo sibi præcipuè in primitiis, quibus Regnum suum augeri firmarique posset, duxit providenda.* Primum, *ut Regnum superiori guerra & incendio per Cruciferos afflictum, vexatumque, & ad grandem exinanitionem perductum, pace reddita, respiret.* Alterum, *ut furum, prædonumque, quorum Patris sui* Wladislai *Regis dissimulatio frequentiam gigni siverat, exterminio Regnum purgaret, stratasque publicas & privatas, & quæque itinera tuta præstaret. Et* primum *quidem efficere conatus, bellum cum Cruciferis de Prussia gerendum, cum cæteræ omnes partes essent quietæ, continuatione firmationeque ulterioris treugæ* ad Festum S. Joannis Baptistæ *anni subsequentis suspendit. Et quo certior pax, & terrarum quas Cruciferi occupaverant, provenire possit, duobus Arbitris (quorum unum videlicet* Carolum Hungariæ *Regem,* Casimirus *Rex pro sua,* & Joannem Bohemiæ *Regem alterum, quem Magister & Ordo Cruciferorum pro sua parte eligunt) omnem quæstionis & differentiarum molem decidendam committunt, ac in eos plena voluntate compromittunt.* Ita ille supra citatus.

Quem Cromerus Lib. XII. de reb. Gest. Polon. per omnia firmat his verbis: *& quoniam videbat CASIMIRUS omnem pene Poloniam, Crucigerorum armis atque domesticis latrociniis, quæ Patre regnante, impunitate increbuerant,* &c. &c. *cum Crucigeris* *indu-*

(k) Sermo de est *Casimiro Magno*, Filio Regis *Uladislai Loctici.*

inducias facit, per quas, perpetua pax, suprà memoratis (CAROLO & JOANNE) *Hungarorum & Bohemorum Regibus arbitris componeretur*, fol. 205.

Itaque CASIMIRUS, plus pacis cupidus quàm belli, etiam non attentô, quo ad injuriosam sibi sententiam, ex compromisso latam, pacem Vicegradi in Hungaria anno Dni. 1335. Mense Novembri, arbitriô Regum CAROLI & JOANNIS, factam, acceptat, Cromer. fol. 205. annot. ad margin. *pax inter Polonos & Crucigeros.*

Verùm Magister & Ordo, solitâ calliditate & vafricie usi, contra hanc arbitramenti duorum Regum *Hungariæ* videlicet & *Bohemiæ* ordinationem, quamvis in suum favorem, pronuntiatam fuisse perspicerent, decisionem hujusmodi, absque Prælatorum, Baronum, Nobilium, Civiumque, & Communitatis Regni *Poloniæ* (veriti ne sententia Regum aliquando possit in dubium revocari) rejiciunt & despiciunt. Dlugosz fol. 1036. Tom. I. annot. ad margin. *Theodoricus Prussiæ Magister, Cujaviæ & Dobrzyn. terræ restitutionem negat* &c.

Idem asserit Cromer. lib. supra citat. *non tamen reddebant ex decreto & pacto*, Cujaviam Dobrzynumque, Crucigeri CASIMIRO, *quamvis approbasset is sententiam Regum, ex compromisso Latam, nisi etiam unà cum senatu, nobilitate, & civitatibus, Diplomatis & jurejurando dato*, Pomeraniæ, Culmensi & Michaloviensi *tractibus à se, & posteris suis prorsus abdicaret.* fol. 206. & præcedenti 205. ad fin. annot. ad margin. *Crucigeri pactis conventis cum Polon. non steterunt.*

Contra quos, Casimirus *Poloniæ* Rex, nullum sibi rebusque suis videns successum, ex arbitrali regum sententia, generalem Regni sui agit convocationem, animô deliberandi, quid opus sit factu? cum Cruciferis, literas patentes super conclusum duorum Regum demandantibus: *Nullum profectum* Casimirus Poloniæ *Rex, ex arbitrali duorum Regum pronunciatione & sententia sibi & rebus suis videns accessisse, quinimò Magistrum & Ordinem, in majorem pompam animos indurasse, generalem terrarum regni sui agit conventum: deliberaturus, an ad ea, quæ Magister & Ordo Cruciferorum, super terrarum* Pomeraniæ, Chelmensis, & Michaloviensis, *renunciatione & titulo, & juramento præstando, concedendisque literis ad præmissa, à Rege expetit, annuendum? vel quid opus facto foret.* Dlugosz fol. 1038. Tom. I. Annal. annotatione ad marg. *Casimirus Rex celebrato conventu generali &c.* Anno 1337.

Ab hoc tempore, subsequentes Reges, exemplô Casimiri excitati, Consilia sua, sub libero assensu Civium cæperunt formare. Ita ex antiquioribus Statutis, sub verbo: *cum Consilio, consensu, & unanimi sententia Prælatorum, Baronum, nobilium, & Militum &c.*

Ad quos tandem, Generales conventus Regni, accessit novum jus eligendi Nuntios Terrestres, sub CASIMIRO *Jagiellonida*, anno Dni. 1468. *Gdy na Kazdy* (Seym) viritim *iezdzic się szlachcie uprzykrzyło, iedni przez drugich na nic się zgodzic nie mogli, postanowił* Roku Pansk. 1468. w Piotrkowie, *aby Posłowie Ziemscy ze wszystkich Powiatow y Ziem na Seym wyprawowani byli, a tak*, Nuntii Terrestres nati sunt, Koludzki fol. 164. ex lib. *Thron Oyczysty &c.*

Idem

Idem habet Hartknoch lib. 2. cap. 6. de comit. Polon. *Cùm enim finitô tredecim annorum bellô in Prussia, contra Cruciferos gestô, tributum ad exsolvenda stipendia à nobilitate minoris Poloniæ exigeretur, non abnuebat id quidem equestris ordo, sed sinè majoribus Polonis illud sciscendum non putavit; quare placuit è Palatinatibus sive Satrapiis, Legatos ad Comitia Petricoviensia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris moderati tributi potestatem haberent.* fol. 657. tit. Nuntii tempore Casimiri Jagiellon. &c.

Hoc postea ita inolevit, ad hunc usque diem, ut sine illis Legatis, sive Nuntiis Provincialibus, nulla legitima comitia haberentur, neque tributum imperari, ac ne lex quidem ulla fieri posse videretur. Cromer. Lib. 27. *de ort. & reb. gest Polon.* pag. 400. Neugeb. lib. 6. hist. Polon. *in vita Casim. Jagiell.*

Quos sub ALEXANDRO *Rege*, in comitiis Radomensibus an. 1496. Legibus placuit confirmari: tit. *de non faciendis constitutionibus sinè consensu consiliariorum & Nuntiorum terrestrium.*

Tandem crescente, cum tempore malitiâ hominum, super terram, cæpit sensim absque sensu, liber hic consensus Civium, sub SIGISMUNDO AUGUSTO, HENRICO VALESIO, STEPHANO BATHORÆO, in licentiosum degenerare *Veto.* Quo, ad ambitionem versi, dum suô quisque nutu uteretur, posthabitô Publicô Bonô, rem privatam, potentiamque suam augere studentes, leges, privilegia, jura violare, & temerare cæperunt. Quibus deinceps omnes Constitutiones, respectivè: SIGISMUNDI III. an. 1609. tit. *Deklaracya artikułu de non præstanda obedientia,* fol. 888. MICHAELIS an. 1673. *po Konfederacyi Golębskiey,*

tit. *Diploma* fol. 4. & fol. 2. à verbo: *My ſtoſuiącſię do zgody tychże Stanow* &c. JOANNIS III. an. 1690. tit. *obiaſnienie Konſtytucyi dawnieyszych, o Porządku Seymowania.* AUGUSTI II. an. 1717. tit. *Utwierdzenie Traktatu &c.* & an. 1718. tit. *Głos wolny* &c. approbantes & confirmantes libertatem ſentiendi, & jus vetandi, in majorem audaciam, & ſuffragium mali abierunt, contra mentem Reipublicæ, per omnia quidem aſſeverantis *Liberum Veto*, cum reſtricta tamen obſervantia Legum & Jurium Regni. Uti per expreſſum habetur in contextibus præallegatarum Conſtitutionum. *Niederoguiąc wtym y wolnemu domawiaiuſię wolnosci y całosci praw swych: Kazdemu szlachcicowi na seymiku Powiatowym; a Posłowi na Seymie według dawnego zwyczaiu prawem opisanego &c.* ex conſtitutione SIGISMUNDI III. ſuperiùs citata. *My ſtosuiącſię do zgody tychże Stanow &c.* formam Reipublicæ ad antiquum ſtatum *przywracamy: iako to, Seymi, Seymiki, Izbę Poselską,* libertatem ſentiendi & jus vetandi *przy Prawie.* MICHAEL an. 1673. Similiter & reliquæ hîc citatæ ſonant. Per quod

Patet ad quæſitum ſecundum, *Ubi, & Quando, Liberum Veto* obſervari debeat? nimirum: in Comitiis & Comitiolis, in juſtitia & honeſtate, penes jura & Leges Regni. Hinc ſequitur 3tium.

Quid ſit? Reſpondeo *Liberum Veto*, ex ſignificatione ſui idem ſignificare, quòd *prohibeo, obſto, obſum &c.* Quo verò ad definitionem rei, *eſt facultas opponendi ſe penes jura,* ſeu *Eſt modus civibus conceſſus, jura Patriæ tuendi, ne quid contrarium Legibus ſtatuatur.* Definitiones hæ, colliguntur ex ſupra citatis Conſtitutionibus, verbô: *według Praw dawnieyszych, przy Prawie, &c.* Unde graviter errant, qui putant *Liberum Veto,*

 ipſam

ipsam esse libertatem, quam in supposito 8vo definivimus cum GROTIO, *Esse jus Reipublicæ regendæ*, *Liberum* verò *Veto*, nec regit Rempublicam, nec ei jus condit, sed conditum concordi voce & unanimi consensu Ordinum (quo Leges fiunt, ut in supposito secundo ostendimus) solùm defendit & tuetur. Unde rectè describitur à nonnullis, quod sit: SATELLES & CUSTOS Legum. Cujus proprietates sunt:

Primò: Indemnitates, jura, Privilegia, & immunitates Sacræ Romano-Catholicæ Ecclesiæ tueri. *2dò*, Leges & æqualitatem inter cives custodire. *3tiò*, cavere, ne Respublica quid detrimenti patiatur; ne leges Cardinales lædantur; ne damnosa & præjudiciosa Bono Publico statuantur, aut sanciri permittantur. *4tò*, S. Fidem Orthodoxam propagare; commoda Publica promovere; & mala avertere. *5tò*, pacta tenere, fœdera servare, amicitiam cum Vicinis colere, & jus suum cuique tribuere &c. &c.

Huic Satelliti *Libero Veto*, est suus gladius, utraque parte acutus: defendit & offendit. Defendit libertatem, si jure utatur; & tunc est Virtus, Custos, & Columen Libertatis. Si verò contrà sumatur, tunc offendit Rempublicam, lædit libertatem, & occidit cives, & est vitium pessimum, principium omnium, primum & Alpha malorum in Polonia, procedens ex natura corruptæ libertatis, seu licentiæ insolentis.

His igitur originem *Liberi Veto* paucis explicatam, ante oculos, & in conspectu publico propono. Judicium de hoc, sit penes lectorem, cui hoc liberum relinquo

- - - - si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non? his utere mecum. Horat.

Quæ tibi amice Leche, in medium protuli, de vero & legitimo Senſu *Liberi Veto*. Cui Leges tuendæ Patriæ, metam propoſuerunt Herculeam: *non plus ultra*, intra terminos juſtitiæ, hærendo *przy Prawie* &c. &c.

Verùm abominabiles factæ ſunt viæ eorum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: transgredientes terminos antiquos, quos Patres poſuerunt in Lege, alieni facti, & remoti à vero ſenſu *Liberi Veto*, ad voluntatem libidinemque ſuam vociferantes, animarum ſalutis, pauperum miſeriæ, Divinorumque præceptorum obliti, omni cogitatione, ad injuſta converſi imperia, quaſi telô & inſtrumentô rerum fragilium, ad everſionem regni, ad ſcindenda in partes conſilia, ad vertenda ſtudia in diverſa, hoc ſalutari claſſicô, (*Liberô Vetô*) ſtabiliendæ alioquin, firmandæque huic Reipublicæ, à Majoribus inſtitutô, excidium Patriæ parant atque ruinam: in mille pericula, & caſus fatales præcipitantes libertatem, furioſis, petulantibus, atque nundinariis habendi contentionibus certantes, has turbas faciunt, has tragœdias excitant, has bellorum civilium faces accendunt, ſolam rationem in imperio voluntatis reponentes: *ſic volo*, *tak miſię podoba*, *tel eſt nôtre plaiſir*, *Szlachcicem y dośc na tym* &c.

O Polonia! jam non Polonia. Quondam ſumma Veneratrix, Legum exemplariſſima Obſervatrix, in qua Lex æterna, ſummi DEI Mens, & ſola recta ratio dominabatur: libertatis Domicilium, Decus Gentis, ac Columna Orbis, nunc proſtibulum facta vitiorum; nullius recti, veri, honeſti reſpectus: Legum inobſervantia, ſancitorum executio nulla, Publicæ ſalutis incuria,

sola

ſola privatorum ambitio & faſtus, novas leges, novas artes, novas inſidias excogitant habendi, non ſentiendi. Sub quibus, proh dolor! libertatem minui, licentiam creſcere in factionibus, experimur dietim.

Super quæ, ultrà ſenſus veritatis reflectendo,

QUÆRO: num *Liberum Veto*, contra jura attentatum, obſervari debeat?

Præſuppoſitô, & ut certô habitô, ex Annalibus Regni, Poloniam modeſtè, & fortiter, ſub Regibus ſuis educatam, orbi eſſe decoram, admirandam, & legibus ſuis imitandam, nullatenus, citra offenſam DEI, jurium, & Legum ſuarum, id affirmare poſſe, niſi apertè naturæ, rationi, & per omnia Legi Divinæ, ad cujus gloriam leges humanæ conduntur, repugnare velit: *Felix diuturnumque regni imperium in laudem DEI Omnipotentis reddatur CASIMIRUS* Cracov. an. 1368. (l) 2*dò*, deductô hìc anteriùs in ſuppoſitis num. 3tio & 6to, quòd tam Lex, quàm Conſuetudo, fundetur ſuper *Rationabilitate*, ſequitur neceſſariò *Liberum Veto*, ſive pro lege, ſive conſvetudine ſumatur, à civibus contra legem citatum, nullam vim & robur habere. Eſt commune, Thgorum & JCtorum docentium, Legibus eſſe parendum: *Lex Civilis in conſcientia obligat.* Gribn. lib. 2. cap. 3. §. 6. de jurib. Majeſt. Idipſum probat SIGISMUNDUS, Conſtit. Cracov. an. 1507. *Quia omnis lex donum DEI eſt, huic omnes obedire oportet, utpote ſinè qua, Reſpublica conſiſtere & regi nequeat.* (m)

E 2 Hinc

(l) *vid. Suppoſitum 4tum.*
(m) *vid. Suppoſitum 3tium.*

Hinc manifestè apparet eorum malitia, contra omne fas & æquum, Ordinationi legum, sese pertinaciter opponentium. Super omnia verò, ordinem rectè consulendi, tam frivolè evertentium. De quo nos Constitutio SIGISMUNDI III. (n) JOANNIS III. (o) per expressum docet, primô die comitiorum, Mareschalcum esse eligendum: *Deklaruiemy ze po obraniu dnia pierwszego, Urodzonego Marszałka Poselskiego.* &c. Hic arbitrum optarem, sed sincerum; quô decernente constaret evidenter: omnes contrà votantes in præteritis Comitiis, Legifragos, DEO injurios, & Patriæ obnoxios esse Filios.

Si dicas: contrarium haberi ex praxi & consuetudine: quâ nunquam, aut raro valde notamus, Mareschalcum, primô die comitiorum esse electum, fuisse tamen sæpius ejus electionem, usque ad ultimum diem consiliorum, protractam, acta testantur. Ergo &c.

Resp. 1mò: errores non sunt allegandi sed corrigendi. Quod & tu ipse probè fateberis. Nam: si annô præteritô rapinis, prædis, incursionibus, aliisque innumerabilibus excessibus, contra præcepta, vivere assvefactus sis, licebitné tibi per usum inolitum, eadem & hoc annô perpetrare? Quis tam effrons diceret?

Resp. 2dò: non usus, qualis præsens est, de protrahenda electione Mareschalci, legem non tollit. Gribn. in Prolegom. cap. 1. *de jur. in gen.* habeturque pro irrationabili, Consuetudo, quæ præbet occasionem delinquendi. (p)

Resp.

(n) *an.* 1591. *ex Sczerbicio.*
(o) *an.* 1690. fol. 1. p. 1.
(p) *vid. Suppositum 6tum.*

Resp. 3tiò: Suppositô, quod de protrahenda electione Mareschalci, etiam legitima (quæ vim legis habet,) (q) daretur consuetudo, adhuc tamen tali consuetudine, lex citata, de eligendo Mareschalco, minimè aboleretur. Quia *Ratio, & Veritas,* (Legis) *consuetudini præponenda est: &, veritate manifestatâ, cedat consuetudo Veritati.* S. August. lib. 4. de Bapt. cont. Donat. cap. 5. Idem habetur in c. cum causa extrà de sent. & re judic. *Etsi consuetudo sit magnæ auctoritatis, nunquam tamen præjudicet Veritati, aut Legi.* Ergo &c.

Resp. 4to. Quotiescunque electio Mareschalci, inter oppositas animorum potestates, ultra præscripta legum, de habili & idoneo Subjecto eligendo, disputatur, non ideo per hoc, inverti ordinem, putes, nam: quocunque die Mareschalcus eligitur, primô seu ultimô, semper tamen ab eodem comitia inchoantur. Per quod Ratio Legis salvatur. Secus dicendum de Comitiis, in quibus Ordo legalis invertitur, ea præcipitando, quæ ordine & lege electionem Mareschalci rite sequuntur tractanda. (r) Uti actum videmus, in comitiis proximè diremptis, in quibus ante electionem Mareschalci, multa proponebantur in confusione, absque ratione. Quæ ne te deinceps deserat.

Velim ut ultroneus huc animum advertas, & providè veritatem intelligas: *morum corruptelam interitum sequi libertatis.* (s) Sic Romanam Remp. amplissimam quondam & florentissimam, Civium furoribus exagitatam, in licentiam multitudinis intolerabilem effusam, seditionibus, civilibusque bellis quassatam, omni

 cala-

(q) vide suppositum 6tum.

(r) Vid. Constit. an. 1690. tit. *Obiasnienie Konstytucyi &c.*

(s) GUEVARA in horol. Princip.

calamitate foris domique afflictam, à fundamentis corruisse. De quo Poëta:

- - *Sic fata premunt civilia mundum,*
Sic Romana jacent.

Itaque notent verba & signent mysteria illi, quorum os plenum est maledictione & amaritudine. Garrientes & laxantes procaces linguas in detractionem Patriæ, causas ærumnarum protendentes, ambitiosis, & minacissimis concertationibus; clamoribus æstimantes rei esse occurrendum, non legibus.

Sed frustra, falluntur: tota luditur opera: *moribus antiquis resstat Romana, Virique.* Prima salus Reipubl. LEX est. Cui repugnare, anathema est: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis.* (t) Sic CASIMIRUS, cives impellens, ad observantiam legum, pænas iis adjecit: *Cupientes ut subditi nostri, in regno nostro degentes &c. ad perpetuam rei memoriam statuta edidimus, volentes ut ipsa statuta, in prædicta terra Poloniæ, ab omnibus observentur, sicut nostram indignationem, & pænas contentas in illis, volunt & cupiunt evitare.* His pro coronide positis

Postremò quod superest, ne quid hìc à me aut malevolè dictum, aut protervè scriptum, lingua æmula taxare, quod verissimè sonat, mussitare audeat; judicetque priùs sinceriter, antequam quid temerè effutiat, hìc illud CROMERI, pro ratione & defensione Censuræ meæ pono. *Est quidem salutare admodum in Republica, esse Custodes libertatis communis: cæterùm providendum est etiam atque etiam, ne quod ad salutem comparatum est, abusu verta-*

(t) ad Gal, 2. Cor. 3.

vertatur in perniciem: metuendumque est, ne infinita illa potestas, & in licentiam erumpens libertas, non tam publicam fortassis utilitatem spectans, quam privatæ alicujus unius, vel paucorum libidini & cupiditatibus, vel denique auræ populari serviens, & regere magis, quàm regi satagens, prostratâ & eversâ Regiâ Majestate, & authoritate Senatoriâ, summam Reipublicæ confusionem pariat &c. Lib. XXVII. fol. 400. in fin.

Ex hoc Capite, Constat mens *Recti*, mens *Veri*, Lexque *Honesti*, qua, ex solo amore & zelo, quo erga Poloniam ferar, *Liberum Veto* conformiter ad Legem explicando, Libertatem in salvo, & ex integro colo ac veneror. Pro qua, vitam ponere, sanguinemque etiam (si res ita ferat) profundere, paratus sum. Polonus etenim haberi non mereretur, nec inter honestissimos Viros, eum posse satis integrâ æstimatione versari, qui Patriæ injuriam vindicare, dignitatem, integritatemque ejus, pro virili, conservare non studeret.

Pro quo, indefessus labor, cura, & sollicitudo verè Paterna *Serenissimi* AUGUSTI III. Regis Vestri Amantissimi, Cujus ad exemplum, totus componitur Orbis, omnem eò vertit Mentem, ut bene sit Vobis & Patriæ. Cui nihil quidquam magis curæ cordique est, præter Bonum commune & Pacis: In summa Clementia, & Bonitate, Pharsalicam inter cives moderando discordiam.

Sub Quo, felicissimè & sanctissimè vobis Regnante Principe, jamjam AUGUSTEA (aurea puta) sæcula, quæ hactenus sub Marte, extincta jacebant, denuo Poloniæ reflorere, & vigere videmus meliora: omni virtute perfectissima, in Serenissimo AU-

GUSTO III. In Quo si velis Devotum? en maximè Pium! si Æquum? en Justum! si Sapientem? en Prudentissimum! si Mansuetum? en Clementissimum! si Liberalem? en Munificentissimum! verbô: desideras Virtuosum? omnium Virtutum Speculum ecce AUGUSTUM!

Hunc ergo amate Dominum, Quem Vobis DEUS posuit Regem; Propitium & Benignum, sæculi nostri Felicitatem. Ei servite corde perfectô & verissimô; uno omnes labio voventes, quô olim Populus Electoralis, PROBO *suo* acclamavit festivè: PROBE AUGUSTE DII TE SERVENT. (u)

Vobis verò pro complemento instituti, quibus hactenus *Liberô Vetô* ludere placuit contra jura, Lubeat nunc sub Principe tam *Justo & Pio*, seriò eô uti cum Lege, ad Majorem Nominis Poloni, Regnique Vestri Honorem: objurans vos in Christo Domino, cum Apostolo: ut sitis concordes & unanimes spiritu: *obsecro vos, per Nomen Domini Nostri JESU CHRISTI: ut idipsum dicatis omnes; & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*

Z G O D A.

(u) Flav. Vopiscus in PROBO, Riccius de Elect. & Coron. Reg.
(x) 1. Cor. 1. v. 10.